



1. 828.

3

PANEGYRICUS

AB

ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPIS

AC DOMINO, DOMINO

BERNHARDO,

SENIORE

DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM, LANDGRAFIO THURINGIÆ, MARCHIONE MISNIÆ, COMITE MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DYNASTA IN RAVENSTEIN, &c.

In Æde primaria Jenensi

Memoriter dictus

Cum

Sexto Iduum Novembris A. O. R. M DC LIV. qui erat centesimus ab eo, quo Abavus JOH. FRIDERICUS MAGNAN. EL. SAX. supremum diem obierat.

Nov. 1654

Ejus Celsitudo fasces Academicos deponeret

J E N Æ,

Typis exscriptus à GEORGIO SENGENVALDO,
Acad. Typographo.

1.

3

3



BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS

BERNARDUS





CELSISSIME PRINCEPS, PARENS CLE-
MENTISSIME, TVQVE CÆTERA EMINEN-
TISSIMA AUDITORVM CORONA.



Uod bonum felix fortuna-
tumque sit, lætissimus & candidissimo
calculo notandus dies hodiè illuxit, quo
missionem ab illo fastigio, cui antè seme-
stre divina bonitas me imposuit, impe-
trare, & dignitati meæ Reçtorali exequi-
as ire licebit. Etenim id mihi in votis fuit, cum vos, Patres
Academici, hunc onerosum honorem, & honestum onus
mihi imponendum decrevissetis, cumque me postremum ex
hâc cathedrâ dicentem audiretis. Et quidni fuisset, cum ho-
mines in primis ad alta ista flectant oculos, & exempla sibi
suis inde moribus sumant? Quod primus in Romana histo-
ria Crispus Salustius eleganter expressit. Qui magno, inquit,
imperio præditi in excelso vitam agunt, eorum facta cuncti
mortales novère: ita maxima fortuna minima licentia est! E-
legantius adhuc & suo exemplo edoctus doctissimus Arrago-
niæ & Neapoleos Rex Alphonsus hoc firmavit: ut herbas
quasdam ad solis motum, sic populares (sic studiosos) in Prin-
cipum (in Reçtorum) mores verti pronuncians.

Quamobrem jure meritoque mihi gratulor præsentis
diei felicem adventum, qui illis me sagittis eripit, quibus ceu
scopum quendam summos magistratus expositos esse Cæsar
Fridericus agnoscebat.

Gratulor nostræ Academiæ, quæ toto hoc semestri parum
passa mali est, paucissimis agitata casibus, quin potius variis
aucta beneficiis. Unum vidit hoc semestri Senioris docentis
funus, unum super ejusdē Stahlii supremo funere audivit pa-
rentalem

talem lessum. Vidit contra alius Professoris inaugurationem, audivitque nitidum ipsius sermonem, quo suam Academiae fidem operamque addixit. Vidit raro hujus Universitatis exemplo viginti tres Candidatos à Doctore *Johanne Ernesto Gerharde* supremis in Philosophia honoribus maectatos. Vidit iterum auspiciis *Philippi Horstii* Academiae totius Senioris novenarium numerum ad idem Heliconis culmen ascendentem. Decrevit jam majores titulos aliis in superioribus facultatibus inoffenso pede currentibus. Quæ profectò illustris ac benè constituti Lycèi argumenta præbent luculentissima. Non dicam nunc de tristi contagio, quod vel præfentes Academiae cives fugare, vel adventantes retrahere potuisset. quinimò plures quàm aliàs hanc studiorum sedem elegerunt, ejusq; sacratissimis legibus sacramentum dixerunt.

Gratulor celsissimis hujus Academiae Patronis ac Nutritiis, à quibus se hætenus fideli cura & affectu clementissimo sustentatam, conservatam ac instauratam profiteatur.

Gratulor denique Celsissimo & Venerando Domino Parenti meo, cui desideria sua cum in meâ, tum novissima quoque dilectissimi Domini fratris FRIDERICI electione clementer admissa ac probata fuisse inclutus ordo Academicus gloriatur.

Vobis autem, Patres Academici, pro illius vestri de me judicii beneficio, quo fasces Academicos superiore semestri mihi committendos censuistis, gratias immortales habeo, reapse daturus operam, ut votis ac desideriis vestris ita aliquando satis faciam, ut, quemadmodum hætenus, mihi potius quàm justissimæ expectationi vestræ me defuisse agnoscatis.

Tibi quoque, Doctor *Christophore Philippe Richtere*, plurimum debere me nunc ingenuè agnosco, qui tua fideli opera & auxilio regimine hoc Academico sum ex sententiâ defunctus. Non committam, si DEUS volet, ut in me unquam reperias, quæ à boni & munifici Principis officio aliena sunt.

Nec tu mihi insalutatus abibis, illibate Studiosæ juven-
tutis

tutis flos. Tu quippe proximo semestri adeò docentibus in hac nostra Salana tuam diligentiam probâsti, ut nobis quoque aurium favorem tuis disputationibus tribuentibus salivam sæpius moveris. Tua vero obedientia ac morum civilitate effecisti, ut eo nomine celsa ducalis domus Saxonica, cujus vice sum defunctus, tibi ad quævis studiorum redhostimenta juxta mecum sit obligata.

Tandem cum nihil in prosperè exantlata hac functione nostrum aut in nostris meritis agnoscamus præter adorandam nobis augustissimæ voluntatis divinæ benignitatem, Supremo Numini devotas devoto corde agimus gratias pro felici actionum nostrarum moderamine, idem supplex venerans, ut Academiam nostram porro sibi commendatam habeat, statumque ab ea turbulentum clementer arceat, quo ex hoc scientiarum sacrario tanquam ex equo Trojano innumeri semper Ecclesiæ & Reipublicæ furculi succrescant.

Cæterum ne hanc eminentissimam panegyrim sine symbolo dimittam, absque omni orationis purpurisso, fucisque verborum breviter grata mente recolam *immensum illud divina bonitatis opus, quod in literarum, & quæ exinde resultat humanitatis perpetua cultura Germania nostra contigit.* De quo dicturus, Auditores, majorem attentionem à vestro erga patriam amore, quam à meâ, quam sola brevitatis commendat, oratione mihi polliceor.

Literarum summam esse in Republicâ utilitatem adeò omnium seculorum experientiâ innotuit, ut sine iis ne ipsa quidem arma (ut reliqua taceam) & armorum jura consistere sapientissimus Regum Alphonsus quondâ agnoverit. Et profectò plebeis argenti, nobilibus auri, Principibus gemmarum loco illas esse jure optumo cum Ænea Silvio dixerim. Quippe quæ & temporum & locorum & ætatum sunt omnium; quæ studia adolescentum regunt, & senectutem oblectant: quæ secundas res ornant, & adversis per fugium præbent ac solatium: quæ delectant domi, non

A 3

impe-

impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quarum scientia totum illuminari mundum, & ad obediendum DEO & hominibus animos hominum informari, Sacratissimus censuit Imperator Fridericus in authentica habita, *ne filius pro patre.*

Hoc autem cum ineffabile sit divinæ benignitatis donum, quidni gratissimo animo celebremus illam Germaniæ nostræ felicitatem, qua non tantum hodie ad invidiam usque aliarum gentium fruimur, sed cujus gloria aliis pene omnibus antiquiores & excellentiores esse videmur?

Quamvis autem in plerisque annalibus Romanis omnium liberalium artium prorsus & perpetuò ignari, adeoque ab omni morum culturâ alieni fuisse dicamur, non tamen id pace antiquissimi & suâ ætate laudatissimi scriptoris Berosi concedere nobis integrum est. Is enim, si gemina sunt, nec ab Annio Viterbiensi, ut alio loco arguitur, supposita, libro quinto antiquitatum autor est, Sametim quendam, cognomine Ditem, quarto Nini anno literis & legibus formavisse Celtas, Celtiberos autem Tubalem; à quibus demùm mille post annis Græci, non à Cadmo, ut docet Annius, suas acceperunt. Nam, quas primus advexit, rudes quidem, paulò ante excidium Trojanum Cadmus quintus, eas à Galatis traxerat: quas tamen Galatæ & Mæones prius à Gallis Celtarum populis susceperant. Neque igitur, inquit idem Annius, Galli à Græcis, sed potius à Gallis Asia & Græcia cum coloniis etiam literas & disciplinas consecutæ sunt. Sarronem autem proximè post inventum literarum usum publica apud Celtas instituisse gymnasia, ut hominum tum recentum ferociam contineret, à quo Celtarum Theologos & Philosophos Sarronidas vocatos fuisse, pariter literis proditum est.

Equidem de Gallis forsan hoc ita se habere dices, non item de Germanis? Verum non puto quenquam in Geographicis adeò hospitem esse, ut Celtarum nomine Germanos, Illyrios, Britannos, Gallos & Hispanos venisse, omnesq; has nationes in universum Græcis dictas fuisse Celtas ignoret. Id quod

quod tam ex sacris quam profanis scriptoribus solidè firmat
eximium illud literatorum decus Philippus Cluverius. Acce-
dit quod eandem linguam, eundem Deum, Tuitonem nempe
seu Teutatem, (unde Germani hodieque Tuitisci dicuntur)
eos coluisse ex variis scriptorum monumentis haut difficul-
ter probari possit. Causam verò tam alti apud eos silentii de
præclaris suorum facinoribus variè exponunt Textor, Budæ-
us, Longolius & alii.

At tempus, Auditores, nobis aurem vellicat, ut antiqua
illa missa faciamus, & ad præsentem nostræ Germaniæ faciem
nos convertamus, quæ profectò singulari Numinis gratia A-
cademiarum & gymnasiorum multitudine ac nitore ita
splendet, ut liberalium artium ac scientiarum cultura, rin-
gente licet invidia, de aliis nationibus facilè triumphet. Ete-
nim si quibus terrarum virtus, si literæ in precio habentur, Ger-
mania nostra est. Si quibus Principes studiorum rationem
habeant, constituentes in suis urbibus gymnasia literaria,
& asyla doctrinarum patefacientes, certè Germania nostra si-
bi hanc laudem vendicat. In ea quippe innumera reperies lo-
ca, quò agminatim undiquè conveniunt multijugæ eruditio-
nis candidati, quibus nihil prius est, quam linguam eloquio,
animum disciplinis excolere.

Verum enim vero, ne Vestra, Auditores, benevolentia
abutar, veniam sine morâ ad id, cuius gratia eminentissima
hæc panegyris convenit, nimirum ad inaugurationem,
designati Magnificentissimi Rectoris, ejusq; Legati seu Pro-
rectoris.

Quod igitur nostræ Academiae San-
ctissima trias salutare esse jubeat, significo omni-
bus & singulis civibus Academicis, iisque, quorum præ-
terea interest, renuncio, consentientibus Patrum suffragiis
secundis avibus itum esse in Ducem Saxoniae FRIDERI-
CUM, fratrem meum dilectissimum, literarum non minus
quam nostræ Universitatis amore flagrantem, eumq; Recto-
rem

rem Universitatis Jenensis, Doctorem verò *Gothofredum Mœbium* Prorectorem esse designatum in proximum semestre.

Cum autem hæc electio non sine Numine concepta sit atq; emissa, simulque egregiæ virtutis index in illis habeatur, firmiter mihi de vobis polliceor, lectissimi juvenes, vos hunc magistratum vestrum debita reverentia prosequuturos, inque perfecta obedientia nihil facturos reliqui. Quod ut magis in animum inducatis, æqua mentis trutina considerate symbola illa, quibus Academici magistratus inauguratio peragi consuevit.

En igitur, fratrum ocelle, permitte, ut primum tuos humeros *purpurea hac epomide* cingam, quæ cum Cardinalitiæ i. e. summæ sit dignitatis character, abjectis vilioribus cogitationibus sublimia posthac & illo fastigio digna meditare.

Deinde etiam *sceptra* Tibi trado, ut memineris, Te justitiæ fruendæ causa esse constitutum, nimirum ut illam sine affectu & sine aspectu administres.

Tertio tuæ fidei *statuta* committo, juxta quæ judicia tua moderaberis. Etenim, quod mihi de suo largiatur *Homerus*:

Hæc cœtus hominum cogunt, solvuntq; vicissim.

Quibus adjungo *matriculam*, nomina tuorum civium completentem. Quarto loco exhibeo *Sigillum* signandis literis & programmatibus, uti quoque testimoniis firmandis factum. Ultimo denique *claves* reddo, referendis claudendisq; Academicis scriniis, auditoriis, carceri quoque fabricatas.

Et cum his omnem meam potestatem, & quæ infulas Academicas comitari solent mutato simul loco resigno.

Age ergò, frater dilectissime, meo exemplo incitatus Virum indue, & sequestrata timiditate excelsam tuam & Principem indolem civibus Academicis ostende. Sic te perennis manebit gloria: Sic sanctis sacratissimorum Imperatorum Theodosii & Valentiniani tuo calculo pondus adjicies: Ejusmodi Viros ad provincias regendas accedere, qui ad honoris insignia non ambitione vel pretio, sed probatæ vitæ testimonio solent promoveri.

Quod restat, *DEUM* immortalem supplex pro te posco, ut cum nihil providenter mortales sine ejus ope, honore atq; consilio auspiciantur, tuo ingenio acumen, judicio gravitatem, consiliis robur, imperio felicitatem addat: Ut deniq; sub tuo regimine uberrimus sit ex hoc Helicone illustrium ingeniorum proventus, quæ ab omni humanarum divinarumq; rerum cognitione instructa, & nostram do-

mi, & suorum foris pacem tueantur olim atque conservent.

Ms 2584

40

ULB Halle

3

004 969 014



VD 17

M. C.



talem lectum. Vidit contra alius Professoris inaugurationem,
 audivitque nitidum ipsius sermonem, quo suam Academiae
 fidem operamque in
 emplo viginti tri
Gerhardo suprem
 dit iterum auspici
 ris novenarium
 scendentem. De
 bus facultatibus i
 illustris ac bene
 lentissima. Non
 sentes Academiae
 tuisset. quinimo
 elegerunt, ejusque

Gratulor cele
 stis, a quibus se ha
 sustentatam, cons

Gratulor de
 Parenti meo, cui
 quoque dilectissim
 ne clementer adm
 micus gloriatur.

Vobis autem
 judicii beneficio
 stri mihi commit
 beo, reapse datur
 aliquando satis fa
 potius quam just
 gnoscatis.

Tibi quoque,
 rimum debere me
 ra & auxilio regim
 functus. Non co
 reperias, quae a bo

Nec tu mihi insalutatus abibis, illibate Studiosae juven-
 tutis

Universitatis ex-
Johanne Ernesto
 s maectatos. Vi-
 ae totius Senio-
 nis culmen ad-
 liis in superiori-
 Quae profecto
 a praebent lucu-
 o, quod vel pra-
 es retrahere po-
 udiorum sedem
 entum dixerunt.
 tronis ac Nutri-
 t clementissimo
 fitetur.

ando Domino
 tum novissima
 ERICI electio-
 us ordo Acade-

us vestri de me
 superiore seme-
 mmortales ha-
 deris vestris ita
 haectenus, mihi
 me defuisse a-

Richtere, plu-
 tua fideli ope-
 x sententia de-
 in me unquam
 io aliena sunt.

